



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

16. Ipsos sapientes à simplicibus erudiri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

XVI.

Eant nunc Mundi sapientes ( quorum tamen non nisi septem numerantur ) & spernant simplicitatem. Eant Stoici, Peripatetici, Academici, & disputationes acutissimas vanitati vendant. Eant & doctissimæ subtilitatis Theologi, & , quæ nemo intelligat, scribant, dictent, explicent. Præ illis Deo, cuius est *cum simplicibus sermocinatio*, Spiridones, Pauli Simplices, Simeones Sali, Iacoboni placuerunt. *Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? ubi Scriba? ubi conquistor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius Mundi?* Supercilium igitur ponant, qui sibi de magna eruditione tumidè plaudunt, ac fastidiosè despuunt ineruditorum. Deus sapientissimus, sicut per simplicitatem Spiridonis, acutissimum Sophistam conuertit, quem tot ac tanti, in eodem Concilio collecti Patres conuertere non potuerunt; ita & nunc sæpe, per non admodum doctum, sed pium ac zelosum sacerdotem, plurimos hæreticos ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, pereuntes ad salutem trahit; cum plurimi Theologiæ Doctores grandia de Deo loquentes ne vnum quidem hominem conuerterint, aut ad vitam traduxerint meliorem; ne dicam, conuertere dignati sint. Quod non eò intellectum volo, quasi eruditionem aut eruditores eleuem; sed ne scientia inflati, simplices putent à Deo minùs æstimari; atque ipsi beneficijs saginati pecunias magis, quàm animas venentur, curamque religionis indoctis relinquunt; quasi qui plùs sciunt, minùs facere teneantur; cum, Christo teste, *omni, cui multum datum est, multum queratur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petant ab eo.*

Luc. 12. 14.

## CAPVT XXII.

*Per bestias, etiam illas, à quibus alioqui cauemus, Deum nonnunquam succurrere, & miranda exhibere.*

I.

Prou. 8. 31.

Supra, c. 16,



Vemadmodum, in hominibus, ita & in ipsis etiam bestijs, contrarios sæpe euentus ostendit *Iudens in orbe terrarum* diuina sapientia; qua duce profunt ipsæ noxiæ animantes. Supra dixi, per coruos, voracissi-